

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis primi - Fasciculus primus): Vol. I.

London, 1806

Seite 62

14

DIANDRIA MONOGYNIA.

sessilibus, quandoque appendiculatis. *Petiolì* canaliculati, lanati. *Rami floriferi* paniculati, pilosi, basi tantum foliosi. *Verticilli* numerosi, aphylli, nudi, parum distantes, suboctoflori. *Flores* pedicellati, caeruleo-rosae, minores quam in praecedentibus. *Calyx* campanulatus, angulatus, nervosus, resinosis, hirtus, margine quinque-dentato, dentibus acutis, inflexis, duobus superioribus majoribus. *Corolla* calyce triplo longior, ringens: labio superiore fornicato, subinflexo, pubescente; inferiore quadrilobo, albo purpureoque lineato et guttato. *Stamina* longius aliquid appendiculata quam in *S. pomifera* et *calyciná*, magnitudine vero minor. *Antherae* majusculae.

Hæc quoque gallas esculentas, *Salvia pomifera* et *officinalis* more, frequenter gerit. Odore foliorum et florum ad *Salviam officinalem* accedit.

- | | |
|-------------------------------|-------------------------------------|
| a. Calyx cum pistillo. | c. Eadem, abscisso labio superiore. |
| b. Corolla stamina includens. | d. Stamen seorsum. |

TABULA 18.

SALVIA RINGENS.

SALVIA foliis interruptè pinnatis crenatis subrevolutis rugosis, ramis floriferis paniculatis, corollâ declinatâ recurvâ.

Χλωμός hodiè.

In petrosis ad latera montium haud infrequens. Ad cœnobium *Mega Spilaio* dictum, propè Calavritam, Peloponnesi. *D. Hawkins.* γ.

Radix lignosa, perennis, multiceps. *Caules* erecti, pedales, simplices, herbacei, tetragoni, læves atque glaberrimi, angulis detritis, rubicundis, basi foliosi, supernè nudiusculi, apice paniculato-ramosi, multiflori. *Folia* omnia ferè caulis basin versus congesta, opposita, petiolata, interruptè pinnata cum impari: foliolis ovatis, acutiusculis, oppositis, sessilibus, concinnè crenatis, subrevolutis; supra rugosis, scabris; subtus venosis, lanatis; intermediis longè minoribus ac rotundioribus. *Petiolì* angulati, hirti, basi dilatati. *Rami floriferi* paniculati, patentiusculi, omninò aphylli, pilosi, viscidii. *Verticilli* tres aut quatuor in omni ramulo, remotiusculi, subtriflori. *Flores* pedicellati, cernui, magni, caerulei, formosi. *Calyx* campanulato-cylindraceus, rubicundus, nervosus, piloso-viscidus, bilabiatus; labio superiore tridentato, fastigiato; inferiore bilobo. *Corolla* calyce quadruplo longior: tubo cylindraceo, declinato: limbo ascendente, ringente; labio superiore cucullato, villosus; inferiore quadrilobo, vix crenato vel repando, antice albido guttis purpureis. *Stamina* brevia, longius appendiculata. *Stylus* arcuatus, incurvus. *Semina* globosa.

Herba vix aromatica, odore ingrato.

- | | |
|------------------------|-------------------|
| a. Calyx cum pistillo. | d. Calyx fructus. |
| b. Corolla. | e. Semen. |
| c. Stamina. | |